

UM  
RUM  
E  
EINZIA  
UM



2

DIVITIARUM  
EVANGELICARUM

*Disquisitio XX XI.*

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnafii Hallenfis

Rectore

*Respondente*

CHRISTIANO HALBAUERO,  
Querfurtensî Saxone.

*In Fefto Sacrofanctæ Trinitatis.*

*A. O. R. cl. Id. III.*



HALLIS SAXONUM

*Prelo Heredum Melchioris Oel-*  
*schlegely*

VIRIS HONORANDIS

*Reverenda admodum Dignitate, Pietatis  
Claritate, & Doctrina soliditate*

Dn. JOHANNI OLEARIO,  
SS. Theologiæ D. Reverendissimi,  
Illustrissimi & Cellissimi Archiepisco-  
pi Magdeburgensis à Concionibus Pri-  
mario, Mecœnati omnianimi reveren-  
tia prosequendo.

Dn. ADAMO MEISNERO COMI-  
TATUS QUERFURTENSIS PATRII SU-  
PERINTENDENTI, uti dignissimo, ita spe-  
ctatissimo, vicinarumque Ecclesiarum  
Inspectori fidelissimo, Scholarchæ gra-  
vissimo, PATRONO suo perquam a-  
mando.

Dn. HENNINGO GROSCORDI,  
Pastori in Ecclesia OPHUSANA AD  
D. PETRI meritissimo, vigilantissimo,  
fautori suo devenerando.

*sacrat*

Insignes pietate viri virtute politi  
Queis est sincerae religionis amor  
Hoc Tirocinium sacri quod sacro laboris  
Vobis, innubi sumite fronte precor.

SANCTA TRIAS adsit vobis, vestramque co-  
Omnigena vitam prosperitate diu. (ronet

*Christianus Halbauerus, Q.S.*



ANALYSIS LOGICA  
EVANGELII  
IN FESTO  
SACROSANCTÆ  
TRINITATIS

Johann. 3. à v. 1. usq. ad 16.

ANTELOGIUM.



Erba sunt Johan-  
nis c. 1. v. 18. Deum  
nemo vidit unquam,  
Filius autem qui in sinu  
Patris est, revelavit no-  
bis. Verba depingunt  
rationis Deum ignoran-  
tis cœcitatem, dum ne-  
mo dicitur ipsum vidisse secundum scilicet na-  
turam: Siquidem ratio cœca est & non perci-  
pit

pit qua sunt Spiritus Dei 1. Corinth. 2, 14. Quin  
dicit impius in corde suo planè non est Deus  
Psalm. 14, 1. aut si fatentur verbis, factis ta-  
men negant Tit. 1, 15. Et Christi informantis  
charitatem, dum Filius, qui in sinu Patris est  
nobis revelavit. Ergò à Deo discendum quid  
de Deo sit intelligendum: non enim nisi se Au-  
tore cognoscitur, habet Hilarius l. 5. de Tri-  
nit. Quod & testatur Matth. 11, 27. Utrumq;  
declaratur in ipso Evangelio.

## THESIS I.

**I**N quo habetur partim Christi & Nicode-  
mi tractatio, tum de regeneratione, ubi  
partim præfatio, in qua est Nicodemi de-  
notatio v, 1. in quo, continetur indefinitè  
ejusdem descriptio: Erat autem homo: Qui  
bus peculiaris quispiam denotatur, sicut etiam  
de Baptista dicitur: erat homo à Deo missus,  
de Simeone erat homo Hierosolymis Luc. 2, 25.  
Joh. 1, 6.

2. Definitè describitur ab accidentibus  
partim comun: Ex Pharizis. Quae secta tunc  
temporis primaria fuit: quemadmodū etiā no-  
men cluit, dum idem denotat, q̄ egeegius quasi

ob

3

ob nobilitatem segregatus & gregi contempti-  
li non mixtus, uti habet August. serm. 15. de  
verbis Apost. & Josephus l. 13. antiq. c. 23.  
dicit vulgus fidem Phariseis valde adhibu-  
isse eosq; sua auctoritate multum potuisse  
in utramq; partem. Ipse Paulus etiam  
testatur Pharisæorum sectam fuisse exquisi-  
tissimam Act. 26. v. 3. & emulationem  
inter alios ardentissimam Philip. 3. v. 9. Ali-  
as varia fuerunt sectæ, uti notat Epiphanius  
hæres. 80. lib. 1. Imprimis tamen Essai, Sa-  
ducai & Pharisei, uti pluribus Sigonius de  
Republ. Judaica monstrat.

3. Ab accidente proprio, quoad no-  
minis singularitatem: Nicodemus nomine.  
Qualia nomina, licet in veteri Testamento i-  
gnota fuerint, tamē tempore Christi multa fu-  
erunt, ut Philippi, Andrea: denotatq; victo-  
rem populi, dum gestat figuram omnium, qui  
ex Judaico populo in Christum credentes per fi-  
dem vincunt mundum, habet Glossa ordina-  
ria. Nonnus Paraphrastes interpretatur sa-  
crum sanguinem, quia manus suas innocuo  
Christi sanguine contaminare noluit Joh. 7. 51.

4. Et quoad officii dignitatem:  
Princeps Iudæorum. Gessit enim magi-  
stratum in populo Iudaico, uti patet ex Luc.  
14. 1. & fuit assessor Synedrū primarius seu

4  
*Magister in Israel.* Licet enim Iudaeos Ro-  
mani in suam redogissent potestatem, Hebrao-  
rum tamen religionem susq; deq; habebant, fa-  
cile concedentes, ut inter ipsos etiam diceren-  
tur principes, penes quos potestas iudicandi de  
religione, & excommunicandi erat. Unde  
semper Nicodemi honorifica est facta mentio  
Ioh. 3, 7. & 19. tantaq; existimationis ut etiam  
reliquis primoribus contradicere ausus fuerit  
Ioh. 7, 50. Ita nimirum Deus in quolibet ge-  
nere hominum suos habet. Ex militibus le-  
gimus Capitanicum Capernaicum, Centurio-  
nem sub cruce & Cornelium; ex publicanis  
Matthaeum, Zachaeum; ex aulicis Regulū, En-  
nuchum Reginae Candaces; ex meretricibus  
Magdalenam; ex latronibus cum Christo cru-  
cifixum. Ita ut nunquam Ecclesia tota inter-  
ciderit, sed Deus sibi semper aliquos reservavit  
1. Reg. 19, 18. Rom. 14, 4. aliquando enim,  
inquit Augustin. in Enarrat. Psalm. 128. in  
solo Abel Ecclesia erat, aliquando in solo Enoch,  
aliquando in solo Noah, aliquando in solo A-  
braham. Quasi non in uno atq; altero, quod  
Tertull. scribit lib. de pœnit. c. 10. Ecclesia  
esse possit. Ut discamus non cum bonis bonum  
esse, sed cum malis bonum manere laudabile,  
uti habet Gregor. lib. 1. Moral. Unde etiam  
Syrus



Syrus non sine causa adverbium loci posuit, tamen ibi, quasi diceret tota Hierosolyma crudelis erat, ibi tamen reperiebatur Nicodemus victor populi. Quoniam cum populus esset incredulus, ille credulus fuit, cum populus superbus, is humilis fuit, habet Ardentius, quem nos, addit, fratres imitantes, cogitur unusquisque vitium sui populi superare.

5. Et Nicodemi oratio v. 2. in quo præmittitur circumstantia denotata ab effectu, quoad factum in genere: Hic venit. Non itaque resedit, uti ceteri Pharisei, qui dum veritatis discipuli esse humiliter negant, magistri erroris fiunt. Discamus etiam adire, licet alterum pedem in cymba Charontis haberem, dum sero quam nunquam discere præstantius, uti dixit Socrates. Stobæus serm. 29. de assid.

6. In specie, ratione objecti: Ad Iesum. Ut nimirum solus cum Christo colloqui & secreta eius allocutione plenius discere mysteria fidei posset, ait Beda. Ut discamus, si velimus venire & in sacris aliquid scire, quo ad Iesum veniamus.

7. Ratione temporis: Nocte. Propensus enim ad fidem Nicodemus pudore improbo victus & gloria hominum superatus palam accedere non audeat, ait Cyrillus in Ioh. 1. 2,

6  
Et ideo nocte venit, quia interdum formidabat,  
habet Chrysoſt. homil. 23. in Ioh. c. 1. nempe  
collegarum suorum Christum odio persequen-  
tium metu. Et merito in tenebris est, inquit  
Haimo, qui nondum renatus est, ut qui tenebris  
ignorantiae obnubilatus accedit, recte noctu ac-  
cessisse dicitur: ubi enim ignorantia est, ibi nox  
est: ut sit imitandus potius quam vituperan-  
dus dum non de die in diem differt, sed etiam  
noctu surgit, & Christum consulit: quippe alias  
quoque iubemur die ac nocte legem Domini me-  
ditari Ps. 1, 2. Non quasi tenebriones probaret,  
qui fidei confessionem occultant: nam hoc pri-  
mum quidem fecit, uti colligitur ex Ioh. 19, 39.  
de die tamen postmodum ad Christum venit:  
eumque defendit Ioh. 7, 50. ac sepelit. Primum  
ergo ut herba Marci 4, 28. profert spicam Ioh.  
7, 50. & post plenum frumentum Ioh. 19, 39.  
alias ut qui noctis magister diei factus minister  
Drog. ser. 1. de pass. & si sufficeret fides cordis,  
inquit Chrysoſt. homil. 25. in Matth. Deus  
non creasset tibi os. Ille erat adhuc dum Iude-  
us, qui voluit esse Christianus: neque tam exem-  
plis quam legibus iudicandum: neque etiam o-  
mnia sunt imitanda, alias fuga discipulorum  
eorumque somnus, Petri abnegatio, Thome in-  
credulitas trahenda esset in exemplum. Christi  
regula

7

*regula in contrarium Matth. 10, 32. Luc.*  
*9, 26.*

8. Tum est orationis forma: in qua summam. Et dixit ei. *Non itaq; solum venit, verum etiam allocutus est, ut nos non pudeat scrutari secundum mandatum Christi Ioh. 5, 39.*

9. Sigillatim est comparatio, quæ continet nominationem: Rabbi. *Quod significat doctorem, multarum rerum usu affluente captatq; hac voce benevolentiam. Admiserunt etiam Pharisei libentissime hoc nomen Matth. 23, 7. Ut discamus si velimus esse doctores & preceptores, quò habeamus multarum rerum notitiam, quò auditorum profectus augeri possit.*

10. Et declarationem: Scimus quod à Deo veneris Magister *In plurali numero loquitur: quia 1. res notoria erat; & quia 2. ita vocationem Christi profiteatur: nam multi crediderunt in eum, habetur Ioh. 2, 23. licet quidam mali fuerint: propterea nihil aliud querit, sed Magistrum à Deo venisse Christum affirmat; quem adhuc quasi hominem alloquitur ait Cyrillus, l. 2. in Ioh. c. 39.*

11. Et ratio ab effectu desumpta, ubi antecedens: Nemo potest hæc signa facere

A 4

nisi

8  
nisi Deus sit cum eo. Sunt enim signa varia, naturalia, magica, mendacia & fallacia. Exod. 7, 12. Matth. 24, 24. Deute 13, 12, 2. Thess. 2, 9. Apoc. 3, 13. Christi verò signa erant divina, ut conficeretur Nicodemus.

12. Consequens: Quæ tu facis. Ac si ita concluderet: tu es verus Magister à Deo missus. Et discamus neminem esse verum doctorem nisi sit à Deo missus & nisi Deus sit cum illo. Cum illis autem Deus est, qui dona Dei, quæ illis sunt, excitare possunt per quotidianam studium 2. Timoth. 2, 6.

13. Partim communicatio dialogistica, de qua conjunctim est Christi informatio v. 3. in quo causa cum effectu in genere: Iesus respondit. Inter eos enim erat dialogismus. Facilime autem capiuntur & retinentur ea, quæ per dialogismos proponuntur. Unde & apud veteres ratio disputandi erat usitatissima. Ut discamus non sufficere aliquid asseruisse nisi quoq; ad interrogata propterea quis responderit; simulq; ut discamus Christum infirmum Nicodemum non rejicisse sed suscepisse humaniter, audisse patienter & instruxisse fideliter. ita enim iubemur cuilibet in lenitate respondere 1. Petr. 3, 16. Debet enim Augustino monente divinarum literarum, ractor & doctor, defensor rectæ fidei, ac debella-

9

bellator erroris, & bona docere & mala dedocere: atq; in hoc errore sermonis conciliare aversos, remissos erigere, nescientibus quid agatur, quid expectare debeant, intimare.

14. In specie forma responsionis est, in qua præmittitur attestatio: Amen, amen. In majorem rei veritatem per consuetam asseverandi formulam, ut ostenderet Christus, quod habet Chrysostr. homil. 23. in Ioh. nondum vera cognitionis vestibulum attigisse Nicodemum, sed extra regiam remeasse.

15. Et exponitur antecedens respectu causæ: dico tibi. Quia nimirum ille dixerat esse magistrū: ut ergo magister doceret dicit.

16. Respectu formæ: Nisi quis renatus fuerit è supernis. Hoc est à Deo. Videtur enim verba, quæ à Salvatore dicta, habet Theophyl. nihil alludere ad ea quæ à Nicodemo dicta: at si quis rectè pviderit valdè congruere inveniet. Quandoquidē Nicodemus humilē habebat de Christo opinionem, nempe quod Magister esset ac Deus esset cum illo, dicit illi Dominus: merito ita de me sentis, nondum enim natus es superne, h. e. spirituali nativitate, sed carnalis es: & cognitio, quam de me habes, non est spiritualis, sed animalis & humana. Ego autem dico tibi, quod nisi tu, & quisquis alig fuerit superne

A 5

Et ex Deo nati fueritis, simulq; obscure, uti habet Chrysoft. hom. 23. in c. 3. Iohan. dixit, ut auditores attentiores redderet. Siquidem clarum & manifestum verbum fugit nonnunquam auditorem, obscurum autem diligentiorum efficit. Dicit vero universaliter, nisi quis renatus fuerit. Ut ostendat se peccata arguere, non opera tantum mala & ipsam naturam vitiatam, quam nascendo accepimus. Etenim omnis Christiani natiuitas duplex, carnalis & spiritalis, una de terra, alia de coelo, ait Aug. tract. 11. in Ioh. Quamvis illud annotant precedens sit clarus & melius, uti habet Cyrillus & Theophylactus, cum in eodem capite v. 21. c. 29. v. 11. Iacob. 1, 17. ita usurpetur.

17. Consequens: Non potest videre regnum Dei: hoc est non potest introire regnum Dei particeps esse vite aeternae: procul enim dubio cum predicaret illo tempore de regno Dei Christus Matth. 13. de ratione perveniendi in regnum Dei inter eos actum fuit, quemadmodum etiam paulo post versus exponitur, ingredi regnum Dei per Metonym. subjecti pro adire: ut ostendatur regenerationis necessitas.

18. Et Nicodemi exostulatio v. 4. in quo argumentum ab impossibili, respectu

Quæ ætatis: Dicit ad eum Nicodemus: quomodo potest homo nasci cum sit senex? Non enim noverat nisi unam nativitatem. Et cum pueri nascuntur non senes, miratur. Et quia Nicodemus jam senex, de sene exemplum posuit, ut res eo sit absurdior, scilicet ut venerat in tenebris, ut inquit Augustinus, sic nil nisi tenebras loquitur: est enim particula quomodo non multum credentium sed & adhuc terrena sapientium habet Chrysost. homil. 23: in Ioh. 31.

19. Et ratione qualitatis à negato nascendi loco naturali: Num potest in ventrem matris iterum introire & nasci? Ac si diceret: si homo debet regenerari oportet iterum in matris uterum introire: at hoc impossibile: uti notat interrogatio. Ergo non regenerari poterit. Audiebat quidem regenerationem, sed spiritualement non intellexit, ad carnis traxit vilitatem & tam admirabilem profundam doctrinam naturali necessitati conglutinavit, deliramenta ac ridiculas proponens dubitationes, ait Chrysostomus: naturam objicit terrenorum vindicem & ad tempus confugit gratia incogitans. vide Nicodeme ita inquit Basilii Seleucensis orat. 28 gratiarum rationes, novis & senes resingere & senibus nativitatem largiri.

Sec.

*Sed quæ à natura est regeneratio fœtui terram substernis; at gratiæ paritudo, cœlo partum ascribit. Rectè quidem intellexit Nicodemus nativitatem carnis, sic & tu intellige nativitatem Spiritus, monet August. tract. 9. in Ioh. & sicut uterus non potest repeti, sic non baptismus. Simulq; nostræ rationis cœcitas in mysteriis fidei apparet, cum tamen res Christianorum sit sublimior quàm ulla mente, ulla ratione percipi queat, ut habet Iustinus in Exposit. fidei.*

20. *Distinctim per exceptionis solutionem generaliter, ubi est spiritualis regeneratio v. s. in quo negat consequentiam in propositione & proponitur iterum attestatio? Amen, amen dico tibi. Quia novit Nicodemi cogitationes non ex malitia, sed ex inscitia profectas, quæ videbantur dictu obscurius, clarius proponit, & jurat iterum ut Nicodemi attentio in re tam gravi augetur.*

21. *Et exponitur antecedens, quoad causam instrumentalem: Nisi renatus fuerit ex aqua. Innuens mediante aqua in baptismo regenerari, quippe est lavacrum regenerationis.*

22. *Et causa principali. Et spiritu. Cum enim homo non simplex sit, sed compositus*



tus ex corpore sensibili & intellectuali anima, duplici quodam ad regenerationem indiget modo. Non quod duplex sit baptismus, sed quia baptismus utrumq; habet. Quod si verò rogas quomodo aqua potest regenerare, inquit Theophylactus & Augustinus lib. de anima & eius origine c. 10. ego interrogabo, quomodo semen & id ipsum aquosum existens potest in hominem transformari? Igitur sicut in corporali semine totum est gratia divina; ita & in baptisate aqua subdita est & spiritus omnia operatur. Dum autem Spiritus nominatur habet Paschasius lib. 2. de Spiritu Sancto c. 4. Pater & Filius non negatur.

23. Et consequens ab effectu negato: Non potest introire in regnum Dei. Innuens mediante aqua baptismi SS. operari regenerationem spiritualem & initiari Christianos. Unde & Baptismus initiationis sacramentum, janua seu porta cœli à veteribus dicitur. Ascribitur autem baptismi ratione mediæ & applicationis, Spiritui Sancto ratione perfectionis & operationis, Christi sanguini & morti ratione meriti & acquisitionis: simulq; docetur medium hoc salutis non esse differendum. Unde Basilius Magnus in Concione adhortatoria ad baptismum ait: Iudeus circumcisionem non differt propter minas, quia  
omnis

omnis anima, quae non circumciditur octavo die disperdetur, ex populo eius. Tu autem circumcisionem è manu non fientem, sed quae ex uia carne in baptismo perficitur differs cum ipsum Dominum dicentem audiveris: Nisi quis renatus &c. Et illic quidem est dolor & ulcus: hic verò ros animae & ulceris cordis medela. Interim non privatio, sed contemptus Sacramentorum damnat, ait Augustinus l. 4. c. 24. contra Donat. Et quia de generatione dicitur, quod infantum est, regeneratio etiam ad eos pertinet: potissimum etiam cum baptismus in locum Circumcisionis successerit.

24. Specialiter per differentiam naturalis & spiritualis regenerationis, ubi utriusque collatio v. 6. per antithesin contrariarum causarum efficientium ad arguenda contraria effecta, in quo de carnali quoad causam: Quod natum est ex carne, Hoc est à parentibus naturalibus secundum carnem in peccatis: nam per Synecd. notatur hominis natura, non quatenus substantia quaedam à Deo est creata, sed quatenus originali peccato est post lapsum infecta.

25. Effectus: caro est. Id est carnalis vitiositas seu carnalis homo ex Rom. 7. 14. 1. Cor. 15. 50. Unde non sancti à parentibus sanctis

Etis

Et nascuntur: De baptisato namq̄, non justus  
 nascitur, habet Augustinus serm. 14. de verb.  
 Apost. quia non generat, unde regeneratus,  
 sed unde generatus. Fiunt namq̄, non na-  
 scuntur Christiani, ait Tertull. in Apol. c. 8.  
 promissio quidem adest, sed requirit conditio-  
 nem & applicationem. Paulus 1. Cor. 7, 24.  
 non loquitur de sanctitate spirituali & interna,  
 sed de Ecclesiastica, que nihil aliud est quam  
 externa prerogativa quepiam, qua liberis  
 Christianorum intra Ecclesiam aditus ad  
 baptismum proximior est concessus, uti & mo-  
 net August. l. 2. c. 25. de peccati merito & de  
 remissione peccatorum contra Pelagium.  
 Neq̄, tamen caro hic est substantia hominis,  
 uti dictum, sed peccato contaminatum esse,  
 quia peccatum est in carne Rom. 7, 18. Sicut  
 & alias non infrequens in Scriptura, ut carnis  
 & sanguinis nomine opera intelligantur, uti  
 Augustinus scribit ep. 146. ad Consentini

26. Respectu spiritualis, iterum  
 causa: Et quod natum est ex Spiritu, Na-  
 tivitatem non secundum substantiam, sed  
 secundum honorem & gratiam intelligit,  
 ait Chrysostom. Homil. 25. in Johann.  
 que

quæ perficiuntur à Spiritu Sancto autore & sanctificatore.

27. Et effectus: Spiritus est. Hoc est Spiritualem est homo: per spiritum enim spiritualem intelligere debes, habet Tertull. lib. aduersus Praxeam c. 27. Ut ita concluderet: quorum diuersæ sunt causæ, eorum etiam effectus. Ergo per consequens alia generatio secundum carnem est, alia secundum Spiritum.

28. Et per analogiam, cuius notanda declaratio, ubi occurrit spiritualis regeneratio v. 7. in quo adhortatio: Ne mireris. Quo colligitur ipsius attentio & tacita admiratio: ut non tam graviter sit reprehendendus quam informandus.

29. Et modificata asseueratio: Quod dixerim tibi, oportet vos nasci è supernis. Quia quodcumq; vult ingredi regnum Dei, illud oportet esse regenitum à Spiritu Sancto: quodcumq; autem genitum ex carne illud non regenitum à Spiritu Sancto. Ergo non potest introire regnum cælorum.

30. Et similitudinis ratio v. 8. quæ disjuncta terminis suis plenius explicata, cuius protasis in genere: Spiritus. Per quem ventam significat: ut cum disserat de Spiritu occasionem sunt proponendi simile de spiritu, sed

cor-

17

corporeo: nam & Hebraum & Gracum deno-  
tat utrumq̃.

31. In specie, effectus: ubi vult spi-  
rat. seu flat. Per metaphoram notatur liber  
ejus & naturalis impetus, non ac si volunta-  
tem aliquam habeat, sed à natura illi indita  
potestas, monet Chrysoft. homil. 25. in Joh.  
Quasi diceret, secundum eundem Theo-  
phyl. à vento disce majora: Ventus enim,  
quem hoc loco spiritum vocat, ubi vult, flat:  
nequit enim comprehendi vel prohiberi: na-  
turali quippe potestate fertur in alium locum  
incertum.

32. Et accidens: Et vocem ejus au-  
dis. Hoc est sonum: siquidem per sonum, vel  
maximè deprehenditur ventus.

33. Comparatè respectu termini à  
quo: Sed nescis, unde veniat. Nempè deter-  
minativè de loco, uti Lyra loquitur: quia ali-  
às vel ab Austro vel ab ortu flare sentitur: ex  
quo tamè angulo primum prorumpat ventus.  
hoc ignoratur.

34. Et respectu termini ad quem:  
quò vadat. Cum enim sit meteoron corpus  
imperfectè mixtum, diu non durat, sed re-  
solvitur, ubi verò determinatè & quousq̃ du-  
ret, per naturam nescitur.

B

35. A mō-

35. *Amōdooris*: Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu. Nam Spiritus Sanctus aequè regenerationem, ubi vult, perficit, motūq<sup>3</sup> eius, & afflatum, dum dat testimonium spiritui nostro Rom. 8, 16. ex effectis sentimus, ubi verò incipiat & quomodo perficiat nescimus. Ideoq<sup>3</sup> non mireris si Deum non videas: inquit Minutius in Octavio: vento & flatibus omnia impelluntur, vibrantur, agitantur, & sub oculos non tamen venit ventus & flatus. Atqui sic S. S. in operatione est, dum motus excitat, ut in novitate vitæ ambulent. Rom 6, 2. omni bono opere abundant. 2 Corint. 9, 8. Quid enim est, inquit Basilus in Summa. Moral. c. 22. l. 80. propriè generari ex Spiritu? ut fiat illud, pro data mensura, quod est id, ex quo natus est. Quid est propriè e supernis nasci? exsuere veterem hominem cum actibus suis & concupiscentiis, & induere novum, ut fides per charitatem operetur. Gal. 5, 6. Videtur quidem baptisandus infans descendere, videtur aquis intingi, quid autem in illo lavacrum regenerationis agat minimè potest videri. Sola hoc fidelium pietas novit, habet Beda super hoc Ev. & Aug. qq. V. & N. T. q. 59.

36. Applicatio per exceptionem, ubi  
Nico-

Nicodemi interrogatio v. 9. in quo causa: Respondit Nicodemus & dixit ei. *Non-dum enim adhuc satis assequitur: non quidem negat à Christo proposita, sed inquisivit. Ut discamus quotiescunq; quid non intelligimus, esse interrogandum.*

37. Forma: quomodo possunt, hæc fieri? Non dicit hoc, sed hæc: nempe omnia, quæ hætenus Christus proposuerat de corrupta hominis natura, de regeneratione ejusdem, de modo incomprehensibili. Interim non omne quomodo est incredulitatis indicium, sed & est admirationis & fidelitatis, uti Maria quomodo quæsit, de qua tamen dicitur quod crediderit Luc. 1. v. 34. Aliàs est non multum credentium, sed terrena sapientium, ait Chrysostronus homil. 23. in Joh.

38. Et per Christi responsionem, directè, ubi est increpatio v. 11. In quo iterum causa: Respondit Jesus & dixit ei. *Non itaq; insultavit illi, sed potius miseriam deploravit illius status, simulq; quid faciendum sit cum talibus, monstravit.*

39. Et forma, partim ab officii dignitate: Tu es ille Magister Israelis? *Atque ita condoluit simplicitat. tanti viri, qui cum et-*

*iam exemplis addiscere potuisset, quomodo homo debeat regenerari Ezech. 36, 25. legitur ad humilitatis illam viam provocavit, sine qua fava caelestis non potest inveniri, ait Beda: siquidem multi, inquit Hieronymus epist. 8. ad Demetriad. docent Scripturas, quas non intelligunt, eruditorum sibi assumunt supercilium, prius imperitorum Magistri, quam doctorum discipuli.*

40. Partim à negata qualitate: Et hæc ignoras. Si verò, inquit Cyrillus lib. 2. in Joh. c. 46. Nicodemus, qui apud Iudeos doctor erat rudior invenitur, quales fuisse discipulos eorum putamus? cum non excedat discipulus Magistrum: interim melior est fidelis ignorantia quam temeraria scientia de Verb. Apost. serm. 20. ait Augustin. nam removendi sunt & illi substituendi, qui habent formulas sanæ doctrine. 2. Timoth. 1, 13. qui potentes sunt alios docere 2. Tim. 2, 2.

41. Et scientiæ testificatio v. II. in quo præmittitur iterum asseveratio: Amē, amen dico tibi. ut certitudo doctrine caelestis confirmaretur.

42. Et declaratio, qua veritatem doctrine suæ vindicat respectu sui, partim ab adjuncta scientia: Quod scimus loquimur.

Quo-



21

*Quoniam enim Patrens & Spiritum in seipso  
Salvator naturaliter habet, plurali numero  
personas testantium protulit, ut quodammodo  
in ore duorum & trium formetur verum, ha-  
bet Cyrillus c. 48. in Joh. Unde & hoc Ev-  
angelium Trinitatem monstrat: agit de re-  
gno Dei Patris, Filius docet Nicodemum, Spi-  
ritus S. ablegatur.*

43. Et ab *Αὐτοψία*: Quod vidimus  
testamur. Non quasi necessario visus requira-  
tur, sed quia per visum, quod scitur, confirma-  
tur: & cum nemo viderit Deum nisi Filius,  
merito de personis est intelligendum.

44. Respectu aliorum, ab accidente  
negato: Et testimonium nostrum non ac-  
cipitis. Non dixit testimonia, sed testimoni-  
um, quia una tantum essentia est in caelis, &  
tamen tres testantur, 1. Joh. 5, 7. Ut discamus  
testimonium divinum non rejicere. Dicen-  
dum cum Cassiano lib. 4. de incarnatione  
Domini: Deus hoc dixit, verbum illius sum-  
ma ratio est. Sola mihi ad credulitatem suf-  
ficit persona dicentis. Quid mihi querere  
verum sit, quod Deus dixit cum dubitare non  
debeam, quin verum sit, quia Deus dixit. Qui  
enim non credit, habet Epiphanius in Anco-  
rato Deum veracem esse, is excidit à gratia  
& salute.

B 3

45. Et

45. Et indirectè, ubi à magis ad minus amplificatio, v. 12. In quo per interrogationem figuram, magis probabile, quoad objectum: Si terrena dixi vobis, *Nempè de vento, quoad Nicodemum, de templo resuscitato, quoad genus Iudeorum, uti habet August. tract. 12. in Joh.*

46. Quoad effectum negatum: Et non creditis. *Hoc est non credidistis: neutrum enim assequerantur, uti constat ex historia Evangelica.*

47. Minus probabile, quoad objectum: Si dixero vobis cœlestia, *quæ minus sunt nota, ad quæ non assurgit imbecillitas intellectus nostri.*

48. Et quoad effectum: credituri estis. *Quibus enim non est datum credere civilia, inquit Minutius in Octavio, multò magis denegatum credere divina. Hoc est: si non creditis, quia templum possim suscitare dejectum à vobis, quomodo credetis, qui possunt per Spiritum homines regenerari, habet August. tract. 12. in Joh. Est ergò argument. à magis ad minus probabile. Unde interrogatio innuit esse negativè concludendum, quasi diceret: si terrena non potestis, E. nec spiritua-  
lia. Ut discamus intellectus nostri hebetudinem,*

23

dinem, compare enim carne gravata hebescit  
ad evidentem perceptionem rerum maiorum  
Justin. Martyr. in explicat. Fidei.

49. Partim est de salutis autore de-  
claratio, ubi conjunctim est Christi repa-  
ratio v. 13. Postquam enim locutus fuit de mi-  
nisterio verbi & Sacramentorum, per quod  
Spiritus Sanctus efficax est in regeneratione,  
incipit describere, & formam & personam  
Salvatoris & meritum eius. Ideoq; continetur  
in hoc versu partim prædicatum, ne-  
gativè; nemo ascendit in cælum. Quo sta-  
tus exaltionis ostenditur: quia enim Magi-  
strum Dominum & Prophetam nominarat  
Nicodemus; ne putes me, inquit Christus, qua-  
si Prophetam qui de terra est, à Deo missum  
Doctorem, sed à supernis me descendisse scias,  
& Filium & non è terra esse. Nullus enim  
Prophetarum ascendit in cælum, nisi ego solus,  
uti declarat Theophylactus, propria nempe  
virtute, siquidem is viam & aditum nobis  
paravit, Joh. 14. 3.

50. Et affirmativè: nisi qui descen-  
dit de cælis. Dum assumpsit nimirum huma-  
nam naturam, respectu status exinationis:  
nam in eo, habet Bernhard. ser. 18. assumptio  
humane nature exprimitur. Descendit au-

tem, non cecidit: quia qui cadit sine gradu vadit: qui autem descendit, gradatim pedem ponit. Sunt autem gradus in ascendendo & descendendo. In descendendo primus gradus à summo cœlo usq; ad carnem; secundus usq; ad crucem; tertius usq; ad mortem: Sed cum filium hominis audiveris descendisse de cœlo, monet Theophyl. in Joh. ne existimes quòd caro de cœlo descenderit, siquidem descendere idem est quòd incarnari, i. e. in carne manifestari, 1. Timoth. 3, 16. assumere semen Abrahæ Hebr. 2, 16. ex incorporati Majestate ad vilitatem corporis seu indui amiculum vilius quàm pro ipsius ipsius dignitate, uti loquitur Athanasius orat. ext. contra gregales Satell. Et quomodo possit appellari semen mulieris alias Gen. 3, 15. semen David, 2. Sam. 7, 12. fructus ex muliere, Galat. 4, 4. & ex Davide secundum carnem? Rom. 1, 3. Nec moveat id, habet August. lib. 3, contra Maximinum, c. 20. quomodo Christus secundum id quod homo est, descenderit de cœlo, cum de matre, quæ in terra erat, factus sit homo. Hoc enim propter unitatem personæ dictum, quoniam una persona est Christus, Deus & homo.

51. Et subjectum, quod nominatur: Filius hominis. Quæ appellatio in Evangelica hi-

ca historia est usitatissima, desumpta ex Danielis 7,3. ubi itidem ita vocatur, quia & verus homo est. Cum enim filius Dei sibi potuisset creare carnem humanam, sicut Adam formatus est, vocat se Christus non filium Adam, sed filium hominis; & quia in Ebraea lingua excellentes viri vocantur filij Dei, plebei vero filij hominum. Ideoq; propter summam humilitatem & exinanitionem vocat se Christus filius hominis, sicut & servus appellatur, Daniel. 7,14.

52. Et declaratur: qui est in caelo. Loquebatur cum Nicodemo in terra & tamen expressè asserit se in caelo esse: nempe sic venit ut inde non abscederet, sic redijt, ut nos non relinqueret: erat secundum visibilem carnem in terra, secundum invisibilem majestatem in caelo & in terra, uti habet August. in Joh. ut unam demonstraret in utraq; naturam personam. Ideoq; homo noli separare: in caelo erat quia ubiq; Christus, idemq; Christus & filius Dei & filius hominis, habet August. ser. 14. de verb. Apost. Ut discamus, si velimus ascendere quo sumus in corpore Christi: siquidem per ipsum via in caelum nobis parata.

53. Distinctim, ubi generis humani per Christum facta reparatio vers. 14. in quo amplificatur & illustratur per typum; Et si-

B 5 cut



cut Moses exaltavit serpentem in deserto. De quo Num. 21, 9. legitur, ut nimirum ostenderet ex Mose, Magistro Israelis quomodo ista beneficia acquisiverit. Et voluit hoc typo uti ad illustrandam hanc doctrinam. Sicut autem tunc in deserto, ita natura nostra serpentis veneno in Adamo infecta nullo emplastro sanari potuit, nisi per serpentem: ita Christus etiam in corpore suo portavit peccata nostra super lignum, 1. Petr. 2, 24. Serpens enim peccatum est, habet Cyrillus l. 2. in Joh. c. 50. Uti autem aeneus serpens similitudinem quidem habebat bestiae, venenum tamen non habuit: ita & hoc loco Dominus homo, sed à peccati veneno liber, in similitudine carnis peccati venit, h. e. in similitudine carnis peccato obnoxia, ait Theophyl. in Joh.

54. Et explicatur per antitypum: Ita exaltari oportuit filium hominis. Qui est Jesus Christus. Exaltari verò dicitur tum propter passionem, dum in ligno suspensus, uti habet Joh. 8, 28. tum propter sessionem ad dextram Patris Act. 2, 25. Oportuit autem filium hominis exaltari ut victimam in cruce, ut mediatorem ad dexteram Dei, & deniq; tanquam vexillum Esaie 11, 11. Dicitur autem quod sicut serpens, quia si hic typus mysterii, scribit

*scribit Athanasius contra eos, qui humanitatem Christi impugnabant: tantum habuit efficacitatis Prototypus, quanto tibi maiorem gratiam per hominem Christus afferet? Non quod ipse sit serpens, sed quia contra serpentem ipse venit, ait Epiphanius hæres. 37.*

55. Et causæ finalis annotatio. v. 15. in quo subjectum: *Ut omnis qui credit in eum, Hoc est omnis fidelis, siquidem absq; fide non possunt applicari nobis beneficia loh. 3, 36. Ut discamus sine fide non posse nos placere DEO.*

56. Prædicatum, partim à contrario: *Nō pereat. Vii enim tunc qui, intuebantur, non peribant morsibus serpentum, habet August. tract. 12. in Joh.*

57. A contrario remoto, & scopo proposito: *Sed habeat vitam æternam. Hic enim est scopus fidei: sicut autem tunc qui respexerunt serpentem aneum servabantur, non propter rem visam, sed propter Te omnium Salvatorem, uti legitur Sapient. 16, 7. non in serpente, sed in Domini imperio salus continebatur. Ita hæc est voluntas patris, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, loh. 6, 40. Qui enim intuentur mortem Christi, sanan-*

*tur à morte ad vitam temporalem: hic autem ait, ut habeat vitam eternam. Hoc enim interest inter figuratam imaginem, & rem ipsam. Figura præstabat vitam temporalem, res ipsa, cuius illa figura erat, præstat vitam eternam, August. tract. 12. in Iohan.*

---

NOTÆ.

**I.** Nicodemus nocte venit.) Considera Nicodemi sollicitudinem, licet princeps fuerit, vel noctu voluisse querere ne ignoraret; ut discas nullum tempus intermittere quò Christum cognoscas.

II.

**Q**uod natum est ex carne.) Considera hominis naturam esse peccatis inquinatam, nec esse participem sine regeneratione Spiritus; ut discas non secundum carnem ambulare, sed secundum Spiritum, si vis testari te regeneratum esse.

III.

**S**icut Moses exaltavit serpentem.) Considera per crucifixionem nobis acquisitam esse peccatorum remissionem; ut discas nihil magis prodesse ad salutem eternam, quàm Christi satisfactionem fide apprehensam.

CA.



## CASUS.

An Philosophia Theologo etiam  
utilis?

**N**on videtur: 1. Quia ut hic habetur,  
nescit unde ventus sit, Job. 3, 8. quod  
tamen Philosophi arbitrantur se scire.

2. Quia Apostolus Paulus ait: Vi-  
dete ne quis decipiat per Philosophiam  
Coloss. 2, 8. Et animalis homo non percipit  
ea, quae Spiritus, 1. Cor. 2, 14. Et Phil. 3, 8.  
arbitratur praecognitione Christi omnia  
stercus.

3. Quia iura vident Philosophos l.  
8, reddatur C. de Profes. & Medicis. Et  
in iure canonico, c. 1. dist. 37. dicitur: E-  
piscopus gentilium libros non legat. Ratio  
habetur: c. 8. ubi dicitur: legimus de bea-  
to Hieronymo, quod cum legerit libros Cice-  
ronis ab angelo correptus, eod quod vir Chri-  
stianus paganorum figmentis intenderit.

4. In rebus sunt stultissimi, Athenæus  
lib. 13. de philosoph.

5. In Concilio Turonensi prohibitum  
religiosis audire physicam c. 3. ne Clericus  
lib. 3, tit. 10, Decretal, c. 10, eod, tit.

Con-

Contra 1. Christus ad cœlum provocat, Matth. 6, 2 & Luc. 12, 54. Paulus allegat Aratum Act. 17, 28. Epimenidem Tit. 1, 12. Menandrum 1. Cor. 15, 23. Idem asserit quòd ex visibilibus cognoscamus Deum invisibilem, Rom. 1, 20.

2. Daniel libros Chaldaeorum diligenter legit, Moses in omni Ægyptiaca sapientia fuit doctissimus Act. 7, 22.

3. Necessaria est, inquit Meisnerus q. 8. in Prolegom de summo bono, ob terminorum cognitionem, quid justitia, quid virtus, quid persona, &c. non definitur per Theologiam, sed per Philosophiam, 1. ob questionum decisionem, quid libertas, politia, quæ forma Ecclesiæ optima, quid Magistratus, non Theologia, sed Philosophia ostendit. 3. ob Scripturæ interpretationem, in Psalmis, in Proverbis in Siracid. in N. & V. tot sunt res, ut qui Philosophie ignarus & rudis nihil eorum intelligat. ob 4. Pauli clarum exemplum, ita allegat, uti supra tactum Paulus Philosophos act. 17, 28. 1. cor. 15, 23. Tit. 1, 12. Ita Luther. fuit ipse Profess. Organi & Physices.

4. In

4. In Jure Canonico, dist. 37. c. 8. dicitur legendas esse seculares literas.

Ad contraria 1. Sanè rudes illi, qui ita intelligunt ac si ignoraretur causa ventorum, à qua & ex qua: nam nec Grammaticam intelligunt, siquidem in fontibus habetur πὸθεν ἔ, πὸς ad verbia loci, non indicantia causam efficientem, vel materiam, sed terminum seu locum, unde & quo spiret: idq̄, æque ignorat Theologus ex Theologia, ac Philosophus.

Ad 2. Ergò si cavere debemus, utiq̄ & cognoscere. Deinde loquitur Apostolus non de Philosophia ipsa, sed de inani, quando falsa proponit, & qui ea abutuntur, tunc enim fit inanis deceptio, ne decipiatur, dicit & addit secundùm traditionem hominũ.

Alter loc⁹ loq̄tur de animali homine p̄ quem intelligitur brutalis, qui nõ ut homo ratiõẽ utitur, sed q̄ ut brutũ sensu ducitur, & de eo verũ, quod non percipiat tanquam mulus & asinus quippiã. Terti⁹ locus comparatè loquitur non de Philosophia, sed de operibus omnib. quæ in collatione ab Apostolo Paulo habentur pro σκωβαλοῖς. Etiam  
cir-



circumcisionē nominat, Pharisæum esse, que tamen aliās bona, illa quia instituta à Deo, de hoc ipse Apostolus gloriatur.

Ad 3. jura de iis loquuntur, qui indebite & insolenter Philosophiæ habitum usurpare cognoscuntur, uti verba expressa habent. Et in jure canonico in posterioribus canonibus habetur limitatio: ita enim semper in distinctionibus tractatur, ut posteriores canones explicent, & limitent priores. Hieronymus v. ubi doctorē Ecclesiæ informat, sed monialem, etiā somnium narrat, & denique ab usum culpatur.

4. Athenæus de Sophistis agit, qui barba & habitu mentiebantur Philosophū, nō de Philosophis veris. Concilia non omnia statim probanda, & in Synodo Eugenij constitutum, ut sint doctores dist. 39. c. 12. Addatur Meisn. in q. generali part. 1. philosoph. sobriæ in tract. de summo bono q. 8. in Schol. Babyl. par. 3. q. 7. lit. 7. Gerh. de Meth. stud. Theol. &c. cognitionis Philos. sect. poster. p. 88. Jacobus Martini in spec. rat. quos qui non estimat, quis eum, nisi qui geminus Apulei asino, quanquā iste aureus fuerit, iste modo Stercoreus.



**P**orticuum auctor Salomonis & ille sa-  
crarum,

Quisq; adit Christū, templaq; sancta subit.  
Talis erat quidam Pharisag dogmate princeps  
Iudeus, populi nomine victor erat.

Venit is ad Iesum noctu, dixitq; : Magister  
Scimus id, à summosis quod isipse Deo.

Talia nemo facit, quæ tu facis, adsit eidem

Ni Deus : & faciet talia nemo tamen.

At addit Iesus : nisi quis sit desuper ortus,

Non potis is regnum, crede, videre Dei.

Incontra primas : grandævus quomodo nasci

Quit ? nequit in ventrem matris inire sua.

Christus ait : nisi quis sit flumine, flamine natq;

Indugredi regnum non potis ille Dei.

Progenerat carnem caro, sed quod spiritus illo

Gignit, id omnino spirituale cluit.

Mirari noli quod tale locutus : oportet

Vos natos omnes desuper esse Dei.

Spirat ubi modo vult, velut audis spiritq; unde

Nescis & quo : sic spiritualis homo.

Hinc rursus quarit primas & taliter infit :

Hæc fieri mihi dic, qua ratione queunt.

Iesus respondit : quis tu ? quid ? es ille Magister

Israëlis, & hæc Te didicisse negas ?

Dico

*Dico tibi certè, loquimur quod scimus, id-  
ipsum,*

*Visaq; testamur, creditis an et tamen?  
Si vobis terrena loquor, non creditis. Anne  
Cœlica credetis dixero quando modo?  
Ascendit cœlum, nisi qui descenderit illinc,  
Nemo, sed in cœlo Filius est hominis.  
Serpentem Moses in eremo sustulit, a què  
Exaltandus erit Filius ille DEI.*

*Ut qui credit in hunc pereat nullatenus, aulam  
Æterna vitæ quò sed habere queat.*

*Talia Halbauerus ait; sed talia pergat!  
Porticum cœli structor & aptus erit.*

testatur

GUEINZIUS.



RESPONDENTI S.

*I**ndoctum vocitare vulgus audet,  
Dives cui data villa, nobiliorem:  
Virtus nobilitat, Poëta clamat  
Prudens: accipio, proboq; dictum  
Hujus: Divitias tuas canendo.  
Quæ monstrant Triadem piè ter almam.  
Halbauere viam, quod opto, perge.*

Matthæus Bernstein/Hal, S.

02 A 572  
(1/2)

ULB Halle 3  
003 808 483



VΦ 17

EVANG.

CHRIST.

HALL.

Q2.C




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



2

VIARUM  
**LICARUM**  
io *XX XI.*  
ESIDE  
**GUEINZIO**  
i Hallensis  
ctore  
*ndente*  
**HALBAUERO,**  
ensi Saxone.  
*anct & Trinitatis.*  
Is. Isc. IIII.  
SAXONUM  
*Melchioris Oel-*  
*egely*

